SPECIMEN HUMANITATIS

QUA

ERUDITI QUIDAM

GERMANIÆ HETERODOXI

Prosequuti sunt Suevicum iter

A DOMINO

ANGELO MARIA

CARDINALI QUIRINO

Peractum

ANNO MDCCXLVIII.

SERENISSIMO PRINCIPI

HASSIÆ LANTGRAVIO

AUGUSTANÆ URBIS EPISCOPO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Episc. Brixien.

FAustum reditum Tuum e Thermis Carolinis, SERENISSIME ANTISTES, ad Augustanam Sedem, amplissimasque ditiones, quibus in regionum istarum tractu potiris, maximopere Tibi gratulor literis hisce, atque una simul singulares gratias ago humanitati Tuæ, quod benigne admodum exceperis Nomini Tuo inscriptam itineris mei Suevici descriptionem, quæ Tuas ad manus, dum Thermæ Te illæ adhuc detinerent, commeavit. Haud dissimili comitate, nullus dubito, a Te excipiendam fore, quam Tibi pariter in præsens nuncupo, descriptionis ejusdem appendicem, fasciculum scilicet literarum, quibus meum illud iter Viri eximiæ eruditionis laude florentes in Academiis Lipsiensi, Goettingensi, Hamburgensi, Tigurina, ac tandem Memmingensi, decorarunt. Operæ pretium mihi visum

fuit, ea Heterodoxorum comitatis ſpecimina evulgare, ut inde Catholica natio intelligat, habitas a me cum iiſdem de Religione controverſias, horum non odium certe, ſed benevolentiam contra mihi conciliaſſe, indeque ediſcat, eam iniri poſſe in controverſiis illis agitandis rationem, quæ apta ſit, poſtquam etiam in Adverſarios quidquid in Te roboris eſt exerueris, eorundem animos demulcere, atque ita allicere, ut minime in poſterum refugiant vel ipſis Catholicorum rebus favere. Quæ id palam oſtendant, plura ad manus habeo documenta, unumque, & alterum ex hiſce, quod ſcilicet ad eaſdem ante paucos dumtaxat dies advenit, ſi CELSITUDINIS TUÆ oculis ſtatim ſubjiciam, pro certo habeo, rem gratam me Eidem facturum.

Pertulit ad me poſtremus Germaniæ tabellarius Jacobi Willelmi Feverlini, Clariſſimi Profeſſoris Facultatis Theologicæ in Univerſitate Goetingenſi, literas, quibus aliæ P. Jordani Miſſionarii Apoſtolici alligabantur. Prioris fragmentum, portio nimirum illa, quæ ad rem noſtram facit, ita ſe habet.

Alteras, quas adjectas vides, litteras, Cardinalis Eminentiſſime, mea fidei tradidit Sacerdos ex Ordine Tuo Benedictino (omnibus ſacra antiquitatis ſtudioſis venerabili) Pater Jordanus, qui ſacra Religionis veſtra in hac Academia Regio indultu facit, Vir doctus, prudens, humanus, mihique amiciſſimus. Rogat is Tuam Eminentiam, ut amplius ſtipendium annuum, quam ab Epiſcopo ſuo deſignatum ipſi eſt, Tua auctoritate ſibi concilies; quam ut ipſi clementiam impertiaris, Princeps Reverendiſſime, rogatus humillima interceſſione expeto, bene gnarus, CC. thaleros non eſſe ſtipendium, quo per pretia

rerum

rerum non exigua digne vivere apud nos possit Vir Reverendus &c.

En vero Missionarii Apostolici literæ.

Patere, qua singularis Tua Clementia est, Eminentissime Cardinalis, ut Reverendissima Eminentia Tua submississime exponam, Serenissimum Regem Angliæ ante duos adhuc recentes annos ex speciali gratia concessisse, ut qui hic Gottingæ habitamus Catholici, exercitio Romano-Catholicæ Religionis libere uti possimus; quem in finem mihi, qui indignus profiteor Ordinem S. Benedicti in Abbatia Maria-munstrensi, a Regio, & Electorali Regimine Hannoverano, accedente tamen prævio consensu Illmi Episcopi Arethusini, & per Septentrionem Vicarii Generalis, collatum est munus Missionarii Apostolici. Quod dum per spatium sesqui anni, ut hujus Universitatis Gottingensis Missionarius Apostolicus, tam per Missas publice celebratas, diebus vero festivis decantatas, quam per publicas ex ambone Conciones executus fui, simul mihi innotuit, Catholicos Gottingenses, parochianos meos, non esse in tanta rerum sufficientia ut Catholicum Presbyterum, suumque Parochum sustentare valeant. Testes omni exceptione majores mihi desuper erunt quotquot hic sunt Domini Professores, & speciatim eximius doctor Feverlinus, Reverendissimæ Eminentiæ Tuæ notissimus, & propter mutuas correspondentias celeberrimus. Quamquam proinde ne vel unicum nummum de Altari, Parochianisque meis pro mea hucusque sustentatione habuerim, nihilominus 500. imperiales, sive scudos industria mea acquisitos, quando Corbeja, sub Celsissimo Principe Ord: S. Benedicti, honorem habui Theologiam, simulque sacros Canones docendi, tam pro mea sustentatione, quam pro Missionis Apostolicæ conservatione expendi. Verumtamen meis nummis nunc totaliter expensis, unde in Ecclesia pressa sumam panes ut manducem? Et quis est hic, qui hanc Missionem Apostolicam adhuc tamdiu conservare velit, & tueri, donec sacra suprema Sedes Apostolica in annuum meum stipendium sit consensura?

In his tristibus, perinde ac lætis rerum circumstantiis nemo mihi ab hujatibus Dominis Professoribus, & speciatim ab

eximio Doctore Feverlino mihi laudatus fuit, in quem majori cum fiducia ſpem meam, & oculos vertam, atque R̃ma Eminentia Tua. Quis enim recentiorum, aſſerunt prænominati Domini Profeſſores, doctrinæ Tuæ radios, ſcriptorumque Tuorum ſoliditatem, nec non laudatiſſimum Tuum Zelum pro propaganda Fide divulgavit uſque ad hanc doctiſſimam Terram Gottingenſem, niſi Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus?

Hæc meditans non poſſum quin ipſe ſpe me ipſum erigam fore, ut Eminentia Tua tantum quantum pro ſuſtentatione mea pro unico anno requiritur, mihi gratioſiſſime conferre acquieſcat. Ita eveniet ut Religionis noſtræ exercitium in hoc loco, a quo pluribus quam 200. *annis exulare coactum eſt, adhuc in longius tempus per eximia Tuæ Charitatis beneficia poſſit conſervari, & defendi.*

Sin, quod metuo, ſingulari huic beneficio digne recompenſando impar poſthac futurus ſim, non deero tamen, quo minus Tua erga me charitatis officia cum meis Parochianis humillime venerari non obſiſtam, Reverendiſſimamque Eminentiam Tuam indignis meis precibus aſſidue commendatam habeam, qui humillime exoſculando Sacram Purpuram ſum

Revm̃æ Eminentiæ Tuæ

Gottingæ 8. *Julii* 1748.

Infimus obedientiſſimus famulus f. Jordanus
Miſſionarius Apoſtolicus Univerſitat. Gottingenſis
O.S. Benedicti profeſſus.

P.S. Pro majori notitia ſervit Revm̃æ Eminentiæ Tuæ, quod apud ſacram Supremam Aulam Romanam demiſſiſſime ſupplicatum fuerit pro annuo ſtipendio meo, quod etiam non eſt denegatum, ſed propter belli tumultus dilatum uſque ad meliora tempora.

Jam vides, PRINCEPS REVERENDISSIME, Feverlinum curam ultro in ſe recipientem Miſſionarii Apoſtolici commodis per literas iſtas inſerviendi, id egiſſe, quod animum non honeſtum tantum, & religioſum, ſed Catholicæ rei valde ſtudioſum commonmon-

monſtrat. Quare meæ quoque pietatis partes eſſe exiſtimavi, cavere, ne ea poſtulatio irrita evaderet. Itaque ad P. Miſſionarium ita reſcripſi.

Libenter amplector, quam mihi offers, Pater admodum Reverende, occaſionem quoquo modo juvandi Apoſtolicam iſtam Miſſionem. Quare per literas ad Sanctiſſimum Dom. Noſtr. datas enixe Eundem precatus ſum, ut ſtipendium a Sacra Congregatione de propaganda Fide Tibi conſtitutum a Te deſiderari nullo modo patiatur, & præterea in animum induxi, bis centum Florenorum ſummam de meo Tibi interim ſuppeditare, ne dilata penſiuncula illius Tua repræſentatio Miſſionis ejuſdem rebus in præſens officiat. Pecuniæ ſummam eandem ab eo ipſo Mercatore accipies, qui literas haſce manibus Tuis exhibebit. Deus incolumem Te præſtet, quo impoſiti Tibi muneris partes firmis viribus, alacrique animo adimplere valeas, eundemque Deum ut pro me exores, ex animo peto.

Brixiæ 14. *Auguſti* 1748.

Addictiſſimus in Chriſto
A. M. Card. Quirinus.

P. S. Salutem meo nomine impartire præſtantiſſimo iſtius Univerſitatis Profeſſori Jac. Will. Feverlino, cujus honeſtus, ac religioſus animus mihi jam antea bene compertus, egregium ſui dedit argumentum, dum ad Miſſionis iſtius utilitates curandas ſuis me officiis excitavit.

Admirando huic exemplo, quo Vir, hac tempeſtate inter Lutheranæ ſectæ magiſtros nemini ſecundus, operam ſuam impendere eſt viſus, ut Apoſtolicæ Miſſionis ſtabilitati proſpiceret, aliud mox addo, magna & ipſum admiratione condignum. Binis dumtaxat abhinc hebdomadis in hunc modum ad me ſcripſit doctus, boniſque literis perpolitus Heterodoxus, cujus nomen reticebo: *Fieri nequaquam poteſt, quin omnes quotquot dicimur Proteſtantes,*

&.

& Haeretici, maxima aestimatione dignemur Polum, Contarenum, Sadoletum, Bembum &c. postquam ex Eminentiae Tuae lucubrationibus certo certius dignovimus, fuisse eosdem sua aetate sapientissimos, doctissimos, perspicacissimos, integerrimos, Viros demum cum primis honestos, suique Saeculi decus. Ego quidem, si eorundem temporibus vixissem, nullam apud me gratiam novis suis dogmatibus inire valuissent omnes Lutheri, Calvini, Zuinglii, Bullingerii, Oecolampadii, & quotquot forent hisce similes. Iis siquidem libere respondissem: Traducite primo ad opiniones vestras Polum &c. homines affatim intelligentes rerum, quae spectant ad Religionem, ad Regnum Caelorum, ad veram mortalium salutem, tuncque inseram me libenter coetibus vestris. At donec Patres illi Ecclesiae vos aversantur, ac respuunt, anima mea negotium omnino postulat, ut iis potius adhaeream, quibus Deus Ecclesiae suae administrationem concredidit, quam Transfugis, quam rebellantis multitudinis Ducibus, quorum voluntates ut vehementes sic mobiles, quorum quisque nil minus quam veritatem perquirit, sed tantum studet deliramenta sua adoptari, factionis princeps evadere, & quanti vis pretii homo fieri ex vili capite; eveniat quidquid eveniat. Si autem mihi reposuissent, perversos Monachorum mores emendatione indigere, statim addidissem: Putatis ergo novam vestram Religionem ei rei opportuniorem fore, quam tot hominum honestorum Religionem? Credite mihi, Reformationis consilium vestrum abjicite, nam Religio labe caret, nec Reformatoribus eget. Attamen quoties vobis placeat Reformatorum munus assumere, non quidem doctrinam, sed mores tantum vestros instaurate. Thomam a Kempis imitemini, salubres libros conscribite, ac sancte vivite, ut videat mundus totus opera vestra bona, ac Deum collaudet. Si Dei voluntas sit, mutationes in Ecclesia sua exoriri, homines ad id suscitabit rectius intelligentes, ac sanctiora cogitantes, quam Henricus VIII. quam Elector Saxiae, quam Lantgravius Hassiae.

Prodigii instar habebit Celsitudo Tua, hominem ita sentientem, ac scribentem Haereticis tamen connumerari. Adeo portentosum mihi istud vi-

videtur, ut Scriptori illi, Procerum Ecclesiæ Romanæ, quos jugiter lucubrationes meæ concelebrant, divinis virtutibus perculſo, ſuamque adhuc vitam inter Hæreticos trahenti, Ovidianum illud aptari poſſe cenſeam,

Haud aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Is ipſe Scriptor aliis ſuis literis faſſus fuerat, Reformatorum rabiem adverſus Eccleſiam Romanam eorum animos adeo efferaſſe, & obcæcaſſe, ut, ſiquidem Catholici ad eorum partes tranſmigrare elegiſſent, eaſdem certiſſime ſtatim illi relicturi forent, ne rurſus ſocietate Catholicis juncti comperirentur.

Tandem in ſpecimen curæ, quam adhibere ſoleo, ut, præter lucubrationes meas typis editas, etiam commercium a me cum Heterodoxis frequentatum horum animos aculeis veluti quibuſdam incitet ad Catholicæ doctrinæ veritatem contemplandam, narrabo CELSITUDINI TUÆ quod mihi uſuvenit his ipſis diebus, quibus hæc ſcribo. Nunciarunt mihi Clariſs. Schelhornii Memmingenſis Bibliothecarii literæ, in unum eundemque tumulum illatos fuiſſe die 22. Julii optimos gemellos, quos antea ſignificaverat (pro juncta inter nos Ottoburæ amicitia) die 23. Junii ſuſcepiſſe Eliſabetham chariſſimam ejus filiam. Iis literis reſpondens ego, miſeratus primo benevole ſum acerbum eorundem parentibus, ipſique Avo caſum, deinde

gra-

gratulari non omisi eorum gemellorum indubium ad Cœlites transitum, nam eosdem die Festo S. Joannis Baptistæ ipse Avus sacro lavacro solemniter tinxerat. Addidi tertio loco læta novæ sobolis præsagia, moxque subdidi, Schelhornium in illis literis alloquens, *Utinam! æque præsagire mihi liceret, fore, ut Tu quoque, Tuique omnes pignoribus iisdem insontibus in Beatorum sede consociemini;* idque quum scripsissem, sermonem illico abrupi particula *Sed.... Sed...* Quo spectaret trunca ea iteratio, absque dubio Schelhornius intellexit, ea scilicet illud ipsum designari, quod palam præfert epigraphe apposita ad marmoream Bruti effigiem (excellentissimum artis opus, at inchoatum dumtaxat) inter pretiosa eruditæ Antiquitatis cimelia Musæi Florentino-Medicei servatam. Constat illa binis his versibus,

Dum Bruti effigiem Sculptor de marmore ducit,
In mentem sceleris venit, & abstinuit.

Quodnam autem sit scelus, cujus memoria, dum Schelhornio scriberem, calamum meum inhibuerat, novit ille, ut ita dicam, æque ac ego. Ab integro enim lustro nunquam desisto Heterodoxorum Majores, ac Magistros criminari, quod Romanæ Ecclesiæ Proceres, quorum præstantiam plerique omnes libelli mei fideliter repræsentant, suo indignos consortio reputaverint, novamque ausi fuerint sibi Ecclesiam confingere, postquam Summos Pontifices ex Ecclesiasticæ Hierarchiæ solio, quemadmodum Roma Brutus ille Reges, deturbassent.

Ho-

Horum omnium certior effecta CELSITUDO TUA utique sentit, quales & quantas Deo Optimo Maximo gratias agi a me oporteat, quod Heterodoxorum hominum pectori tam Scriptiones, quam peregrinationes meæ eos inserant sensus, unde illi a Catholicæ Religionis agnitione non adeo ac antea distare videantur. Novit idem Deus, num prope sit tempus, quo cœlestis Hierusalem ædificatio, *Quæ celsa de viventibus Saxis ad astra tollitur*, incrementum tandem sit acceptura ex iis quoque saxis, quæ, ceu inepta ædificationi illi, usque adhuc reprobavimus. Ego quidem nunquam desistam nervos omnes in id operis contendere *Scalpri salubris ictibus - Et tunsione plurima*. Reliquæ autem partes erunt Apostolicæ Sedis, quæ pro munere suo curam capiet, ut ea ipsa saxa *Fabri polita malleo* idonea omnino reddantur, cœlesti illi moli adaugendæ. Utinam! Utinam! *Deus omnis gratiæ*, cui haud raro placitum est *infirma mundi eligere*, *ut fortia quæque confundat*, modica mea conamina, *perficiat, confirmet, solidetque*. Quod ut eveniat, exorandus est idem Deus jugibus precibus, nullasque (ut verum fatear) libentius in hanc rem adhiberem, quam Causburiensis Sanctimonialis Tuæ, si modo viveret; nunquam enim ex animo meo excident admirandæ ejus virtutes, quas, seu dum in ea Urbe adessem, seu dum Sueviam peragrarem, vel Acatholicos ipsos testantes audivi. Demum CELSITUDINI TUÆ REV.MÆ manus reverenter exosculor.

IN-

INDEX EPISTOLARUM
Quæ hoc libello continentur.

Emi-

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, & Protectori Amplissimo

EPISCOPO BRIXIENSI

Jo. Georgius Schelhornius

Veram ac perennantem felicitatem.

QUicquid scriberem, PURPURATORUM EMINENTISSIME, minus foret, si explicare conarer dulce illud gaudium, quo pectus meum hilaris de TUO in nostras oras adventu nuntius perfudit. Fecit illud, ut in itinere TUO assiduus TIBI comes animo meo fuerim, TUAque cuncta vestigia faustis precationibus prosecutus sim, ut inoffenso pede illuc, quo tendis, sanus, vegetus, lætusque pervenias. Nunc spes me blanda tenet, flagrantissimis votis meis Deum Sospitatorem respondisse, TEque Campidonum perduxisse valentem ac incolumem. Vultu igitur lætitia pleno, exultantibus præcordiis, geminatis plausibus, obviisque brachiis TE, O ET PRÆSIDIUM ET DULCE DECUS MUSARUM! venerabundi excipimus quotquot hac in regione cum humanitate & literis commercium habemus. Salvus sis, DESIDERATISSIME ALMANGOVIÆ ET SUEVIÆ NOSTRÆ HOSPES. Perage feliciter magna illa negotia, quæ expedienda suscepisti, & quod in Rhetia Helvetiaque præclare fecisti, suam literis dignitatem strenue his quoque terris adfere.

Niveo autem lapillo diem illum signabo, interque vitæ meæ faustissimos referam, quo, uti sperare me clementer jubes, exoptatissimo TUO conspectu frui mihi licebit, quod fortassis commode, si annueris, fieri in splendidissimo Monasterio Ottoburano, nobis viciniori, posset. Impera igitur, DOMINE, quandocunque TIBI me præsentem & cominus excelsas TUAS virtutes admirantem habere cupias.

Interim TUÆ EMINENTIÆ craſtina luce Campidoni proſperum adventum ſuo meoque nomine devotiſſimo cultu gratulabitur chariſſimus Nepos, quem olim in alma TUA urbe tot exuberantis TUÆ gratiæ documentis TIBI reddidiſti devinctiſſimum, cui comitem pace TUA ſe adjunget ejus frater mihi cognominis, & dilectiſſimus, quem in Academia Goetingenſi adhuc Muſarum caſtra ſequentem, quæ eximia eſt TUA Clementia, favore TUO, O quam exoptatiſſimo! haud indignum reputaſti.

Excipe, obſecro, REVERENDISSIME PRINCEPS, hos mentis meæ TIBI addictiſſimæ interpretes ſerena, quâ ſoles, fronte, & per eos mihi impera, ſi quid his in otis in TUI gratiam a me fieri deſideres. Tradam illis ad TE ferendum leve munuſculum literarium, tenerrimæ meæ de TUO adventu voluptatis teſtimonium aliquod præbiturum; videlicet Conſuetudines Monaſterii Fructuarienſis (Ordinis Cluniacenſis in Burgundia ſiti) ex Codice MS. Monaſterii Lambacenſis ſæculi XII. erutas, ac eleganti manu a P. Honorio a Khobalt, Aſceta Benedictino Menelacenſi, doctiſſimo, mihique, dum vitali frueretur aura, amiciſſimo Viro curate deſcriptas: Decreta item Synodi Varmienſis, auſpiciis Stanislai Hoſii Cardinalis olim habitæ, adhuc inedita: necnon judicium ejuſdem Card. de judicio, & cenſura Theologorum Heidelbergenſium & Tigurinorum, quod, licet jam editum, & mancum, hoc nomine EMINENTIÆ TUÆ haud ingratum fore auguror, quia ipſum eſt celebratiſſimi Viri αὐτόγραφον cujus manus, docta quidem, ſed minus amœna, ex quibusdam ejus Epiſtolis mihi ſatis eſt cognita. Quam vero vellem, ut plura ac longe pretioſiora in promtu mihi forent, quibus ſummam TIBI meam obſervantiam luculenter teſtari poſſem! Adjiciam eis apographa duarum Epiſtolarum, quarum prior an noſtro Cardinali Polo adſcribenda veniat, nemo TE dijudicaverit certius. Æqui bonique hæc qualiacumque, PRINCEPS INDULGENTISSIME, conſule, ac prolixam meam TIBI inſerviendi voluntatem, etſi viribus deſtitutam, clementer

ſer-

respice. Cæterum id mihi vehementer dolet, quod postulatis TUIS, quæ vocas, Præliminaribus, mecum benigne communicatis, subscribere, meumque addere calculum nequeam, gravibus, solidisque, uti mihi quidem persuasum habeo, rationibus prohibitus, quod ne ægre feras, ita, ut majori studio non possim, abs te contendo. Sanctissime autem TUÆ EMINENTIÆ polliceor, si desideratissimo TUO conspectu frui mihi liceret, me ne unicum quidem verbulum de rebus hactenus inter nos ventilatis facturum esse. Servet TE, PRÆSUL REVERENDISSIME, propitium Numen literarum bono incolumem, ac omni hominibus exoptanda felicitate cumulet:

Istaque prosperitas nullo se finiat ævo!

Scribebam Memminga A. R. S. MDCCXLVIII. *d.* VI. *Maji.*

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto & Protectori Amplissimo

EPISCOPO BRIXIENSI

Jo. Georgius Schelhornius

Veram & perennantem felicitatem.

NUdius tertius ego, comitesque mei charissimi Ottobura, nocte satis jam adulta, rediimus ad nostros penates feliciter, pleni admiratione TUÆ, PURPURATORUM EMINENTISSIME, incredibilis humanitatis, doctrinæ, virtutis, facundiæ, pleni dulcissimo gaudio. Gratæ semper memoriæ infixæ manebunt horæ illæ jucundissimæ, quibus ab ore TUO, quam suavi, quam docto, quam diserto! pendere nobis licuit. Hilariter excepti fuimus a læto puellarum choro, quem Pater vere venerandus Eusebius Amort olim animo favente vidit. Immixtus illis erat unicus filius, ore parentem referens, ducemque gre-

gis tam chari ſe præbebat fœcunda mater, conjux fidiſſima, quibus, lætitia exultantes, narravimus, quæ nobis haud merentibus dederis inuſitatæ humanitatis, ac gratiæ documenta luculentiſſima.

O mihi fauſta dies, niveo ſignanda lapillo!

Nunc TE, MUSAGETA MAXIME, cito nimis abiturientem, ac reverſurum ad lares TUOS piis proſequimur votis, Deumque precamur, ut incolumis, vegetuſque Brixiam TUAM reviſas, annoſque vivas Neſtoreos, omni mortalibus deſideranda proſperitate beatus.

Serva autem nobis, PRINCEPS CLEMENTISSIME, perpetuo propenſum TUUM animum, ac frequentem nobis nutu TUO ad quævis officiorum genera occaſionem præbe. Redit huc illæſus Falconii Dio Caſſius, pro cujus communicatione grates perſolvo ampliſſimas. Tria vel quatuor exemplaria elegantiſſimæ ad Celſiſſimum Principem Campidonenſem Epiſtolæ abs TE exaratæ ſi haberi poſſent, novo eoque perinſigni TIBI me devincires beneficio. Viris Clariſſimis, ac Venerabilibus P. Euſebio Amorto, Abbati Sambuca, ac P. Anſaldo, cujus erudita ſcripta a Germanis noſtris plauſu excipiuntur, ut meis verbis humaniſſimam ſalutem dicas, eſt, quod reverenter rogo. Demiſſa mente TUÆ gratiæ, me interprete, ſe commendatos cupiunt perpetui EMINENTIÆ TUÆ cultores, gener meus ac nepotes dilectiſſimi. Ita vale, CARDINALIS REVERENDISSIME, ac orbis eruditi bono diu vige.

Scribebam Memmingæ A. R. S. MDCCXLVIII. *d.* XVI. *Maji.*

Heri cum nuntiatum mihi eſſet, EMINENTIAM TUAM Memmingam noſtram feliciter eſſe ingreſſam, accurri velox ad Monaſterium S. Spiritus, adventum TIBI obſervantiſſime gratulaturus, operamque meam obſequioſiſſime oblaturus; ſed proh dolor! Civitate Te jam noſtra exiiſſe, mihi ſignificabatur. Iterum vale, PRINCEPS CELSISSIME, reſque TUAS proſperrime gere.

Emi-

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, & Protectori Amplissimo

EPISCOPO BRIXIENSI

Jo. Georgius Schelhornius

veram & perennantem felicitatem.

QUotiescunque animum subit recordatio (fit autem illud sæpissime) quam facilem, placidum, vultuque serenum TE mihi dederis, EMINENTISSIME CARDINALIS, in congressu illo nostro Ottoburano, toties dulcis quidam sensus tenerrimæ illius voluptatis, qua ex desideratissimo conspectu TUO perfrui mihi licebat, mentem meam suaviter afficit; toties quoque nova me occupat admiratio incredibilis TUÆ in tanto dignitatis fastigio comitatis, sermonumque varia & exquisita scientia refertorum, qui tum ex ore TUO disertissimo adeo copiose profluebant, ut non lætior tantum, sed doctior etiam ex jucundissimo isto colloquio domum redierim, crebroque interim exclamaverim:

Proveniant medii sic mihi sæpe dies!

Gaudio autem plane exultabam, cum mihi his diebus exhiberentur literæ TUÆ, Campidona d. XVIII. hujusce mensis ad me datæ, tantamque in me humanitatem ac benevolentiam spirantes, ut ab ipsis Gratiis exaratæ esse videantur. Stipatæ erant illæ novo laudatissimæ liberalitatis TUÆ documento, splendido Decadum TUARUM Epistolicarum, quas locuples omnigenæ eruditionis penu jure vocaverim, munere, dilecto Genero meo clementer destinato, pro quo reliquisque adjectis gratias TUÆ EMINENTIÆ persolvo amplissimas: ipse vero Hermannus meus literis, quas hisce insertas vides, testatur, quantopere eum incomparabili munificentiæ TUÆ profusioni

hoc

hoc dono reddideris devinctum. Dimittimus nunc TE, MUSAGETA MAXIME, Italiam TUAM repetentem votivis precibus, ut iter, quod jam ingressus es, auspicato conficias, Brixiamque TUAM, avidis TE amplexibus recepturam, revertaris sospes & integer, valens corpore, vegetus animo, quaque ibis, manibus circumplaudare TUORUM Idem mecum exoptant chari Nepotes, TUÆ gratiæ se se commendatos demisse cupiunt. Quod superest, vel hoc nomine mihi injucundum haud fuit, typis Campidonensibus excusam contueri Epistolam meam, d. VI. Maji scriptam, ut omnes hinc agnoscere possint, quanta observantia Te, O DULCE MUSARUM DECUS ATQUE PRÆSIDIUM! lubens, meritoque prosequar Ipse autem, DOMINE, me vel non monente, quo polles judicii acumine, facile vides, titulum præfixum foliis illis (sit venia verbo) minus bene convenire. Triumphus sane ex epistola mea elici nequit, in qua disertis verbis sum contestatus, me postulatis illis præliminaribus, subscribere, meumque calculum addere non posse, gravibus quippe solidisque rationibus prohibitum. Quod his repetiisse, ne vitio mihi vertas, majorem in modum obsecro. Servet Te, REVERENDISSIME PRINCEPS, Deus in seros annos incolumem, omnique ex parte beatum!

Dabam Memmingæ A.R.S. MDCCXLVIII. *d.* XIV. *Maji*.

Errore Typothetæ Campidonensis p. 4. in Epistola mea pro *præcordiis* legitur præconiis. Proxime curabo ad TE novam cistam libris onustam, occasione nundinarum Bolzanensium usurus. Vale, PURPURATORUM EMINENTISSIME.

Emi-

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ QUIRINO

S.R.E. Cardinali Bibliothecario

EPISCOPO BRIXIENSI

Jo. Georgius Schelhornius J. V. D.

S. P. D.

IMagine TUÆ, vivida illa summæ Doctrinæ humanitatisque imagine, plenus, cum præsentem TE devenerari & tantum non adorare non amplius mihi liceat, patere, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut literis saltem meis, qualibuscunque animi, incredibili humanitate TUA, cujus jucundissimam memoriam non nisi cum vita ipsa deponam, redundantis indicibus, Te compellem. Tanta enim me voluptate diu votis nostris expetita, perfudit amabilissimus TUI adspectus, quo vincula literatis animis injicere soles, ut nullius fere rei cogitationem sustineat mens mea, o quantum TIBI, PURPURATORUM EMINENTISSIME, addicta! præter suavissimam admirandæ benevolentiæ memoriam, qua TU me non in Campidonensi tantum Abbatia, sed in splendidissimo quoque Cœnobio Ottoburano venerandas manus TUAS miro ardore deosculantem ita excepisti, ut congressus ego illos in maximis vitæ meæ bonis suo jure semper repositurus sim.

Sed liquidissimam hanc de TE, DOMINE, cogitandi voluptatem mirifice adaugent luculenta munera, quibus me adhuc ante Campidonensem aditum nullo meo merito ornare, & dici non potest, quantum exhilarare voluisti, quæ quo mihi proximius innotescunt, eo vehementius ad ingenii QUIRINIANI admirationem non ducor, sed dulci potius vi quadam trahor atque rapior. Pignora illa sunt certissima, mihique profecto oculis meis cariora, cum admirandæ doctrinæ QUIRINIANÆ, tum singularis benevolentiæ, qua TU literulas nostras indignas prosequeris. Quanta ego jucunditate ἀντίδωρα qualiacunque offerrem! sed

Sed obſtat adeo paupertas mea ferventiſſimo huic deſiderio, ut ne quidem χαλκεῖα χρυσείοις Interim me totum, omniaque mea ex veteri formula, ſed magis ex animi mei ſententia, TIBI, o dulce decus præſidiumque meum! do, dico, dedico. Si quid in his oris occurrit, in quo qualicunque opera mea uti poſſis, vel nutu imperes, quæſo, DOMINE, Schelhornio, mancipii inſtar TIBI addicto, nam uti neminem in Te colendo ſuperiorem ferre poteſt, ita in ſerviendo nemini unquam cedet.

Exaudiat Summum Numen, rataque habeat vota, quæ pro incolumitate TUA, quam cara nobis, quam optata! ardentiſſima nuncupamus, quibus nihil eſt, quod modum ponat quam ipſa mortalis vitæ ac felicitatis conditio, ad cujus quidem quod altiſſimum eſſe poteſt faſtigium, TE, PRINCEPS EMINENTSISIME, pervenire ita opto, ut hac ipſa in re literarum ſalutem verſari ex animi mei ſententia judicem. Vale itaque, DOMINE, vale ſexcenties, Brixiam TUAM, quæ TE tanquam Palladio quodam divinitus donato, ſummo jure gloriatur, & quo TE ego, dum corpore non licet, animo certe ſequar, & mente cara veſtigia TUA premam, lætus incolumiſque adveni, meque favore TUO, auro quovis contra mihi cariore, indignum licet, proſequi perge.

Dab. Memmingæ, d. XVIII. *Maji. A. R. S.* MDCCXLVIII.

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto,

atque Protectori ampliſſimo,

EPISCOPO BRIXIENSI,

Felicitatem perpetuam

Jo. Georgius Hermannus.

QUam dudum perinſignem Eminentiſſimi Nominis TUI venerationem juſtiſſimamque admirationem mihi inſtillaverat amantiſſimus ſocer meus Schelhor-

hornius ea quidem nuperrimo Martis die adeo crevit, ut verbis explicare non ausim, quid? mente etiam devotissima vix comprehendam. Ita enim admirabilem TE mihi, comitibusque meis multo jucundissimis reddiderat, quæ in Ottoburano Cœnobio faustissime se nobis obtulit occasio, TE præsentem conspiciendi, audiendi, colendi, &, patere ut addam, amandi, ut admodum mihimet injurius in Te, DOMINE, videar, si animi sensa mei, etsi alias per infantiam naturalemque pudorem vix aut ne vix quidem eo audaciæ progressus fuissem, rudiori delineare penicillo supersedeam. Quis enim dulcissimo tenerrimoque pariter ac devotissimo lætitiæ sensu non perfundatur, cui tam felici esse contigit, VIRUM PRINCIPEM in summo Honorum Ecclesiasticorum fastigio collocatum, incredibilique erga peregrinos, erga longe tenuvioris ordinis homines mansuetudine, humanitate, benignitateque utentem intueri? Quis est, qui inde ad debitam virtuti, meritis, eruditionique TUÆ incomparabili admirationem non excitetur? Id ipsum vero est, EMINENTISSIME PRINCEPS, quod timidiusculum me provocavit ad literas has, humillimos grati ac venerabundi animi indices, Schelhornianis literis adjiciendas, id unice in votis habens, ut, quanquam illis nihil quidem ornamenti insit, nihil decoris, & ad suscipiendum sereno vultu dignitatis, eæ saltem tanquam fidæ & genuinæ Schelhornianæ in TE devotionis interpretes comites respiciantur. Quare nec ægre feres, DOMINE, quem omnes literarum cultores MUSARUM ITALICARUM APOLLINEM, ac orbis eruditi decus illustrissimum atque singulare reverentur, quod par disputationum academicarum, Cel. Heurmanno præside olim Gottingæ habitarum, literulis hisce meis simili, quem antea declaravi, animo adjecerim, Deum O. M. humillime precatus, ut reduci TIBI in Italiam, & ad Brixianos TUOS iter ex omni parte faustum atque fortunatum esse jubeat, TEque per plurimos adhuc annos inconcussa prosperitate, perennique animi corporisque vigore beatum benignissime conservet.

Scrib. Memmingæ d. XVI. *Maji A.R.S.* CIↃ IↃ CCXXXXVIII.

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO
Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto,
atque Protectori amplissimo,
EPISCOPO BRIXIENSI,

Felicitatem perpetuam
Jo. Georgius Hermannus.

PRoxima superiori mea Epistola, TE, DOMINE, quem Ottoburæ coram venerari, cujusque faventissimum bonis literis atque earum studiosis animum abundanter cognoscere, cognitumque devote suspicere, mihi præsenti licuerat, alloqui, inque venerationis non infucatæ tesseram binas exercitationes Gottinganas humillime TIBI offerre sustinebam: verum, qui mentis meæ pudor est, nihil tunc aliud optabam vehementius, quam ut ne meam audaciam ægre ferres. At bone Deus! quam TU egregie spem meam fefellisti, utpote qui testibus literis TUIS ad optimum Schelhornium meum, quam venustis illis, quam dulcibus, quam mellitis! non serena tantum fronte conamina mea academica exceperis, verum etiam tribus prioribus Epistolarum TUARUM, quæ laudes superant meas, Decadibus me mactaveris. Ita vero TIBI, EMINENTISSIME QUIRINE, tam suaviter collibitum fuerat, novis quam devinctissimum reddere beneficiis, iisque, parum abest quin dicam, ad silentium me redigere, quum gratiis agendis impar sim! Nec tamen sic acquiescit propensissimus TUUS in immerentem amor. Novas enim, easque oppido mihi gratas, inusitata plane benignitate polliceris Decades, quartam & quintam, quæ priores ordine subsequuntur, e felicissima Præsule suo Brixia Memmingam meam ablegandas. Quid igitur facerem dubius, tandem apud animum meum statui, ne minus, ac par est, humane de præstantissimis donis TUIS sensisse videar, magis per infacundiam peccare, quam frigidum abjectumque tan-

tantæ benignitatis contemtorem me ex taciturnitate exhibere. Euge igitur, PURPURATORUM EMINENTISSIME, gratissimæ mentis testes literas istas benigno, quo soles, vultu accipe, proque animi TUI magnitudine ita de me judica, ut immemorem me nunquam non donorum lautissimorum fore TIBI persuadeas. Summum autem Numen iterum supplex imploro, faxit, inoffenso pede, integrisque viribus iter illud TUUM ad Sedem Episcopalem, ubi tantum literis præsidium, tantus honor, ac tam admirabile ad imitationem propositum exemplar quæ per TE est, perficias, Musarumque Statorem agas quam diurissime!

Dab. Memmingæ d. XXIII. *Maji A. R. S.* MDCCXXXXVIII.

Eminentissimo Principi & Præsuli

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S. R. E. CARDINALI &c.

S. P. D.

Jo: Christophorus Gottschedius

Prof. Philos. Lipsiens. Ord.

Acad. Scient. Berolinens. membrum.

Non mihi, sed incomparabili indulgentiæ TUÆ succenseas, quæso, PURPURATORUM PATRUM ERUDITISSIME, si TE, majoribus forte pro Ecclesiæ salute curis occupatum, tempore minus opportuno offendunt hæ litteræ. Admirata hactenus est Germania nostra & eruditionem TUAM multivariam, & erga dissentientes a TE in quibusdam doctrinarum, historiarumve momentis Eruditos nostros, insignem humanitatem TUAM, qua id effecisti, ut magni TE faciant ii etiam, quibus adversæ TUIS sententiæ probantur, omnesque TE suspiciant, qui Scripta TUA legerunt. En TIBI novam, gloriæ in nostris regionibus augendæ, materiam. Non jam doctrinæ sacræ Vindicem TE appello, non bella moveo nullos habitura Triumphos, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum illu-

ſtriſſimum alloqui audeo, & literarios Theſauros aperiri mihi geſtio, Germaniæ noſtræ triſtiſſimo quondam fato ereptos.

Antiquitatum Germanicarum cultor, non veteris Græciæ, vel Romæ cimelia ut eruantur anhelo, gaviſurus licet, ſi ex Herculano Neapolitanorum, nova priſcorum ſæculorum monumenta proferantur in lucem. Noſtrorum Majorum & linguam ſcrutor, & ingenium ex ſuperſtitibus Poetarum veterum Codicibus eruere ſatago. Extant quidem apud nos etiam fere innumera vetuſtæ noſtrorum hominum literaturæ ſpecimina, edita partim a *Goldaſtis*, *Schilteris*, *Peziis*, *Menckeniis*, aliiſque pluribus; partim etiam in Bibliothecis noſtris *Vindobonenſi*, *Dreſdenſi*, *Gothana*, *Guelferbytana*, immo hic Lipſiæ in *Paulina* noſtra, adhuc latentia. Hæc omnia ſedulus conquiro, in Claſſes ſuas inde a *Caroli Magni* temporibus diſpeſco (eo uſque enim porrigitur Scriptorum noſtrorum antiquitas) & filo hiſtorico concatenatos deſcribere aggreſſus ſum, ut Patriæ Linguæ, Poeſeos, ingeniique hiſtoriam, paullo ampliorem exinde concinnem ea, quam Morhofio noſtro debemus.

Aſſervat autem ſine dubio, PURPURATORUM PRINCEPS EMINENTISSIME, Vaticana TUA, vel Heidelbergenſis potius, illi dudum juncta, non paucos ejuſmodi ingeniorum Germaniæ antiquiſſimorum fœtus, ſcopo meo obtinendo, operique ornando maxime neceſſarios. Hos utinam propriis uſurpare oculis, utinam manibus contrectare, utinam volvere & revolvere liceret avidiſſime! Ubi vero non cuivis Corinthum adire datur, ad TE confugio, PRÆSULUM OPTIME, rogitans, ut pro inſigni TUA, qua in literas omnes abriperis, propenſione, hanc quoque ſemibarbaram licet eruditionis Teutonicæ partem, TUA opera, TUO auxilio adjuves.

Degunt ſine dubio Romæ Germani, quibus & legere antiqua monumenta noſtra, & deſcribere voluminum 1.) initia, 2.) extrema, 3.) argumenta, 4.) librorum auctores, & 5.) annos, quibus vel facti, vel exarati ſunt, expiſcari, facil-

facillimum erit. His, si a TE negotium hoc dabitur, non mihi tantum gratam, sed sibi perjucundam, sed omni Germaniæ nostræ honorificam rem facient. TIBI autem, EMINENTISSIME PRINCEPS, tantum gloriæ exinde accedet, quantum ex promotis ubique Literis unquam accessit Principum optimis. Ita enim in opere, quod meditor, de præstito mihi a TE auxilio gloriabor, ut non in ingratum collocasse TE beneficium probem omnibus. TU interim Reipublicæ Literariæ bono Vale, votisque meis pro summa indulgentia TUA, annue.

Dabam Lipsiæ d. XVII. *Martii A.C.* 1748.

Eminentissime ac Reverendissime Princeps
ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ ROMANÆ
PATER PURPURATE.

AMplissimum deliciarum campum, EMINENTISSIME PRINCEPS, mihi in Scriptis TUIS varii generis, mihi nuper admodum transmissis, exoptate aperuisti, meque hoc dulcissimo munere de TUA erga me munificentia longe illustrissima reddidisti omnium certissimum. Admiratus sum in Epistola ad Episcopum Mechliniensem Purpuratum data non solum TUAM profundam in rebus, & institutis ad disciplinam Ecclesiasticam maxime spectantibus notitiam, sed magnam quoque intrepidamque animi confidentiam seu potius integritatem, qua Beatiss. Pontifici Benedicto XIV. multis in argumentis mascule mentem Tuam aperuisti, & jura Episcoporum strenue vindicasti. Delectatus sum rationibus, quibus in concertatione usus es satis firmis, mihique nunquam persuaderi patiar, homines religiosos Episcopo subjectos, ex præpedita aliqua opinione, vel etiam afflatus cujusdam persuasione valde subdola, & imaginaria aliquid tentare posse. Turbantur hoc temerario conatu ordinum votivorum instituta, & propudiosa inde propullulant monstra Sedi Romanæ nocitura.

Nec

Nec in nostra Ecclesia integrum est infimi ordinis ministro sine præscitu, & potestate Summi sanctioris Senatus a sua statione discedere, & aliud eligere vitæ genus. Aluit, & auxit legendi studium Epistola ad Feverlinum illustrem apud Goettingenses Theologum missa, quæ rei caput oppido difficile, necessarium & maxime controversum tractat. Legi, relegique summa cum mentis acie Pauli III. formam de modo concionandi, critico emendationis Ecclesiasticæ tempore, evulgatam, quam, excussis in utramque partem rationibus, satis sobriam offendi. Optandum est ut hæc ipsa agendi norma in Concilio Tridentino in lucem prodiisset, forte in hoc gravi articulo, qui fundamentum nostræ doctrinæ constituit, & ingens nos inter, & Romanenses peperit discrimen, otia concordiæ, & pacis restitui potuissent. Nec desunt in Epistola ad venerandum Schelhornium directa, argumenta valde utilia, jucunda, & erudita, quibus animus pascitur. Paucis tantum moneo, me nunquam voluisse immiscere concertationi de Indice librorum Prohibitorum a Paulo IV. evulgato, quia prævidi rebus meis neutiquam deploratis haud inde expectandum esse præsidium. Mearum erat partium demonstrare Ecclesiam ex hoc Consessu Novemvirali nullum percepisse emendationis emolumentum. Mea vero non refert ulterius exponere, quid Paulus IV. aliique de hoc emendationis libello senserint, sive laudarint, sive culparint per me licebit. Ea itaque gloria Ven. Schelhornium non defraudabo, illum huic argumento maximam attulisse lucem. Augustissima nostra Domus nostras, quæ proxime instant, nundinas Lipsienses illustrabit, quin & Principes nostri regii, nostris lectionibus Academicis interesse desiderant, ut novum nobis Clementiæ suæ exhibeant documentum. Non deero meis, si fieri potest, rationibus, & munus tuum excellentissimum oculis Optimi Principis heredis, qui nostrum novit literarium commercium exponam. Prospera ceteroquin ut gaudeas valetudine Summum Numen devota mente imploro, meque TUÆ Clementiæ demisse trado,

pie-

pietate nulli TUORUM, quos ubique locorum salutas, amicorum secundus, & futurus

TUI EMINENTISSIMI NOMINIS

Dab. Lipsiæ die xxx. *April.* 1748.

Humillimus Servus
Joannes Rudolphus Kiesling.

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

ANGELO MARIÆ S.R.E. CARDIN. QUIRINO

BIBLIOTHECARIO APOSTOLICO, EPISCOPO BRIXIANO.

Johannes Henric. Leichius.

SI quantum vellem, tantum mihi liceret, EMINENTISSIME PURPURATE, ocius hinc avolarem Augustam Vindelicam, & TIBI felicem TUUM in Germaniam adventum gratularer, TUÆque Purpuræ adrepens, propitium illum eruditis omnibus genium debito cultu venerarer. Verum duo me præcipue impediunt, quo minus huic desiderio meo possim satisfacere, novum munus mihi nuper a Rege nostro impositum, cujus auspicia propediem more Majorum capere jubeor, deinde labores continui, quos typographica præla, & publica Bibliotheca flagitant. Hoc igitur desiderium explere cæpi pereruditis Epistolis TUIS, quas a nostrate mercatore nudius tertius accepi. Deus immortalis, quam pulchras merces Bolzanenses nundinæ nobis afferunt! quam solide infelices quorundam argutias confutasti, quibus non argumentis veterem Christianorum in celebrandis festis pietatem confirmasti, ac transfugam TUUM redigere in ordinem studuisti! Hoc scilicet a sublimi ingenio, & admiranda illa gravitate, quam opera tua omnia ostentant, expectare licebat. Pergrata etiam fuit mihi Eminentissimi Pontificis Mechliniensis, cui harum Epistolarum unam alteramque in-

scri-

ſcripſiſti, memoria, quippe cui commendatus olim fui a Cl. Viro, eodemque amantiſſimo mei, Carolo Majori, Canonico. Vindiciæ Pauli II. quem ego librum dudum legi, ad munera TUA, præcipua Muſæi noſtri ornamenta, nobiliſſima acceſſio factæ ſunt. Lipſiam ſi placeret TIBI excurrere, ſpero TE intellecturum eſſe, nos obſequio & REVERENDISSIMI NOMINIS TUI cultu, Italis ne quidquam concedere. Patebunt tunc TIBI publicæ Bibliothecæ muſæa, pauca quidem, ſed, ut affirmavit mihi Abbas Nicolinus, haud multum Italicis inferiora. Interea Auguſtæ TE excipiet Jacobus Bruckerus, patronus meus, in omni liberali doctrina excultus, & pauci forte alii, quos Muſæ amant & dexter Apollo. In Photiana Diatribe, prælo jam ſubjecta, devotiſſimi cultus mei teſtimonium reperies, ipſamque propediem habebis. Addidiſſem pauca ſuper Inſcriptione Nonii Balbi, niſi me Epiſtolam TUAM ad Cl. Geſnerum expectare juſſiſſes. Vale, AMPLISSIME CARDINALIS, TUUMque favorem & ſingularem benevolentiam mihi conſerva.

Lipſiæ d. V. *Maji A.* MDCCXLVIII.

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi & Domino

ANGELO MARIÆ QUIRINO

S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO

BRIXIÆ EPISCOPO

S. P. D.

Jac. Guil. Feverlinus.

THeſaurus Scriptorum TUORUM auro gemmiſque pretioſior, quem, CARDINALIS EMINENTISSIME, Bibliothecæ noſtræ publicæ meæque Bibliothecula privatæ liberaliſſime deſtinaſti, nondum ad nos pervenit, ſed Norimberga adhuc dum deliteſcit propter defectum aurigarum, qui e feſto Paſchali ad feſtum uſque Aſcenſionis nundinis per omnem Germaniam frequentiſſimis

mis Francofurtensibus, & Lipsiensibus, mercibusque ad illas advehendis unice occupantur. Maximo autem dolore Collegas meos & me mora hæc afficit, non tantum ob desiderii nostri impatientiam, sed etiam propter publici nostræ gratitudinis monumenti retardationem. Quamvis enim in nupero Professorum conventu benignissimam TUAM, DOMINE, voluntatem Collegis exposuerim, omnesque in admirationem & venerationem Generositatis TUÆ rapuerim, tamen cum donum TUUM splendidissimum in conspectum ipsorum propediem producere promisissem, promissione mercatorum Norimbergensium nixus, deliberatio de gratiarum actione eo usque differenda tantisper videbatur, quam vero contra omnem meam expectationem hucusque dilatam esse, & vehementer doleo, &, ut TU, PRINCEPS REVERENDISSIME, condones submisse rogo.

Accepi interim clementissimas TUAS literas die VII. Martii Brixiæ ad me datas, quibus Inscriptionem aliquam ex Herculano erutam mecum communicaveras, ejusque explicationem a Cl. Gesnero per me expetieras: qui quidem Collega meus amantissimus responsioni suæ ad TE, DOMINE, scribendæ explicationem hanc primum reservaturus, a me tamen rogatus Epistolio mihi inscripto eandem dedit, quam una cum ipso Epistolio TIBI, DOMINE, hic trado. (*)

Heri alteras TUAS accepi literas, CARDINALIS EMINENTISSIME, ex Abbatia Campidonensi in Germania, in vicinia patriæ meæ, sub initio hujus mensis scriptas, una cum Epigrammate in D. Kieslingium luculentissimo summi TUI ingenii, nec minoris benignitatis documento. O Felicem Alemaniam, quæ tantum Virum, totius Orbis literati Præsidium, coram venerari nunc licet! Obtestor, rogoque Bonos, Doctos, omnesque cives meos, ipsumque Cœlum & Terram, ut TIBI, PRINCEPS REVERENDISSIME, & in commoratione TUA, & in itinere atque reditu faciles, suaves, commodos, jucundos, &

amœnos prorsus se præstent, ne summus TUUS, quo Germanos bonarum literarum cultores prosequeris, favor ullum patiatur detrimeutum. Quid Gesnerus in Epigramma TUUM, DOMINE, ludere cæperit, ex Schedula ipsius, quam literis hisce adjicio, cognoscere non dedignaberis. Koeleri descriptionem Germanicam Numismatum TUIS meritis sacrorum Norimbergæ jam publice venditam sine dubio jam præsens in Germania vidisti: translatio hujus descriptionis Etrusca Goettingensibus typis exscribenda cum aliis Goettingensis erga TE gratitudinis monumentis propediem ad TE, DOMINE, mittetur. Scribent etiam Koelerus, Gesnerus, & ex Haarburgo Crusius, qui interea summæ TUÆ benevolentiæ per me observantissime commendari volunt. Vale, CARDINALIS EMINENTISSIME, & mihi etiam porro fave.

Goettingæ die XV. *Maji A.* CIↃ IↃ CC XXXXVIII.

(*) *Ex Epist. Jo. Matth. Gesneri ad Jac. Guill. Feverlinum.*

Quæris ex me, si quid habeam curandum ad Eminentissimum, non sola sua Purpura, & apice, sed aliis majoribus, quia propriis, quia æternis, ornamentis, CARDINALEM QUIRINUM. Non deest mihi sane, quod ipsum optabile est, literarum nec venia, nec argumentum. Excitatus sum ab humanissimo bonarum omnium rerum ἐργοδιώκτῃ ad Inscriptionem Herculanensem interpretandam. Habeo, quod non ignoras, pignus indulgentiæ ipsius sacra manu perfectum, literas Etrusco sermone ad me scriptas. Sed hæ ipsæ literæ cum spem injiciant Epistolæ typis vulgatæ proximam, sustinui me, dum tanto effusius obsequi animo meo, dum tanto plenius agere gratias PATRONO nostro possem, & publicas de honorificentissimo munere, quo Bibliothecam nostram affecturus est, immo quantum in ipso fuit, jam affecit, & privatas de propitio in me animo tam luculentis indiciis declarato. Quam occasionem pietatis & publicæ, & privatæ literis meis, modo possit hoc fieri literis meis, modo consecrandæ, quam impatienter expectem, cum te ipsum testem habeam, non est ut tibi narrem.

Sed

Sed nec de communicata nobiscum Inscriptione commentari aliquid in his præsertim temporum meorum angustiis ausus sum, cum metuam &c.

Reddidi tibi rationem, venerabilis & exoptatissime Collega, cunctationis meæ, quam probare Eminentissimo PATRONO nostro hoc nomine cupiam, ne parum forte intelligere videar datam mihi veniam ipsius alloquendi, & de literis nostris ipsum sumendi arbitrum, tanto quidem æquiorem, quanto ipsum fastigium & honoris & virtutis ultra omnem suspicionem eorum, quibus vitiari solent interdum eruditorum hominum κριτήρια, extulit. Cæterum tui judicii facio, velisne tuis verbis uti in me excusando, an has ipsas literas in conspectu Eminentissimi DOMINI proferre, quod quidem vix, at ne vix quidem mereri eas, ipse ultro agnosco. Sed quis scribet usquequaque digna QUIRINO? Bene vale, Collega venerabilis, & animo meo carissime.

Scribebam Idib. Maji A. 48.

Tuus omni studio
Jo. Matth. Gesnerus.

EMINENTISS. CARDINALIS BIBLIOTHECARIE REVERENDISSIME PRINCEPS EPISCOPE DOMINE BENIGNISSIME

NOn possum non nunciare TIBI, DOMINE, vel tribus verbis hesternum diem fuisse diem illum nobis faustum fortunatumque, quo diu expectatum donum TUUM magnificentissimum e patria mea ad manus meas pervenit, atque Prorectori, & Collegis, propter electionem novi Prorectoris opportune congregatis, a me solenniter offerri potuit. Quanta cum admiratione, veneratione, & grati animi significatione omnes hanc TUAM, DOMINE, Bibliothecam Purpuratam coram aspexerint, Collega amantissimus Gesnerus publico Scripto propediem exponet. Pro illis, quæ suavissimo Koelero meo, mihique destinata adjecisti, muneribus, ipsius, meoque nomine humillimas nunc privatim ago gratias, publice easdem prolixius acturus. Unicum addere liceat, salivam mihi movisse Epistolas Fr.

Barbari, Primordia Corcyræ, Orthodoxa Veteris Græciæ Officia, Enchiridion Græcorum, & Gesta Pauli II. P. R. quæ si una cum Epistola IV. ad Mazochium (hæc enim sola mihi adhuc deest in Decade IV. Epistolarum TUARUM, cum Brixianam Literaturam dudum possideam) e Principali TUA liberalitate, CARDINALIS EMINENTISSIME obtinuero, Cræsus aliquis literarius mihi videbor, meaque Bibliothecula, si hac ratione TUA Scripta complectetur omnia, insigni præ maximis Germaniæ Bibliothecis gaudebit prærogativa. Vale, PRINCEPS REVERENDISSIME, feliciter redi ad dilectissimam TIBI Brixiam, & Clementia TUA porro dignare

Reverendissimæ EMINENTIÆ TUÆ

Servum Obsequiosissimum

Jac. Guill. Feverlinum.

Goettingæ d. XXVI. *Maji A.* CIↃ IↃ CC XXXXVIII.

Eminentissimo ac Reverendissimo

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO

EPISCOPO BRIXIENSI,

& Bibliothecario Vaticano

S. P. D.

Hermannus Samuel Reimarus.

Biduum est, ex quo per Bibliopolam Heroldum Lipsia reducem accepi quinque TUAS typis editas, CARDINALIS EMIN.ME, Epistolas, una cum Dionis a Falcone restituti Volumine primo. Utriusque autem muneris nomine TIBI debeo plurimum. Nam TUÆ quidem Epistolæ continent scitu digna quam plurima, ut solent quæ ex TUO proficiscuntur ingenio; & quanquam Helvetiis, Suevis, Augustanis invidere cœperam vicinitatem Italiæ, qua fit, ut non modo colloqui TEcum per literas, sed & præsentem TE coram adire, & venerari possint, tamen legendis hisce, solor quantum licet longinquitatis dolorem, meque benevolentiæ TUÆ, cujus ubique per scripta spargis vesti-

ſtigia, recordatione ſuſtento. Jucunda pariter mihi fuit Dionis Falconiani perluſtratio, quod nunc tam certus ſum, quam qui maxime &c.

Ceterum, ut iter Germanicum Helveticumque proſpere TIBI cedat, & ut feliciter redux Brixiam de TUO in me animo nihil unquam remittas, opto, rogo. Vale.

Dabam Hamburgi d. XXVIII. *Maji A.* CIƆ IƆ CCXXXXVIII.

Reverendiſſime Præſul
EMINENTISSIME ROMANÆ ECCLESIÆ
PURPURATE,
MECÆNAS LITERATORUM HOMINUM
ILLUSTRISSIME

SI quando epiſtola deprecatore indiguit, hæc profecto indiget, qua ego, ignotus TIBI homo, ad Purpuram TUAM, EMINENTISSIME PRÆSUL, tot immortalibus meritis, tot dignitatum ornamentis, tot eruditionis monimentis illuſtrem, accedere audeo. Neque alia ratione, quam cauſæ honeſtate eam defendo, quæ TIBImet ipſi videbitur venia non indigna. Jubet præſens ſtudiorum meorum conditio efflagitare opem Mecænatis Itali, eruditi, atque in aula Romana potentis, nec tamen reperio ullum, ad quem confidentius preces meas applicarem. Penetravit ad nos in angulo Poloniæ ad littus maris Balthici poſitos fama TUÆ non ſolum doctrinæ, quam totus admiratur Orbis, ſed præcipuæ etiam humanitatis, & clementiæ, qua eminentiſſimæ doctrinæ decora exornas, quaque homines literatos, etiam ab Eccleſiæ VESTRÆ ſacris disjunctos, recipis, juvas, protegis. Hac ego excitatus animum ſumſi, hiſque litteris TUUM implorare ſtudiis meis auxilium ſtatui. Delituit hucdum in angulis bibliothecarum *Himerius* &c.

Interim, ſi fas eſt rogare, humaniſſime TE obſecro, EMINENTISSIME PATER, ut me vel duobus verbis edoceas, aut edocendum cures, quid de Himerio impetran-

trando ſperare debeam, & quid hac in re præſtare poſſis; namque velle TE omnia, quæ opto, præſtare, præclarus TUUS ardor litteras amplificandi, credi jubet. Ven. Kieslingius & V. C. Leichius Lipſienſes, Viri mihi amici, rite curabunt, quæ ad me perferri volueris. Nuper elaboravi libellum de fide hiſtorica Maccabaicorum, Rev. Eraſmi Frælichii annalibus Syriæ oppoſitum; qui in Saxonia nunc imprimitur. Si perfectus fuerit, non negligam ad TE mittere in animi TIBI devoti documentum, TUOque ſubmittere judicio ac cenſuræ.

Ceterum Deum T. O. M. ſupplex veneror, ut TE quam diutiſſime rebus humanis ſalvum intereſſe jubeat, in ornamentum reip. litteratæ & Eccleſiæ TUÆ. Mihi vero nihil optabilius unquam erit, quam TUA gratia ac favore non indignum videri. Vale

Dantiſci in Pruſſia Polonica die XXIX. *April. A.* CIↃIↃCCXXXXVIII.

Eminentiſſime, ac Reverendiſs. Præſul,
SUMMO TUO NOMINI
æternum devotus
Gottlieb Wernſdorff, linguarum ſacrarum
profeſſor publicus Gedanenſis, & Societatis
ſcientiarum Berolinenſis ſodalis honorarius.

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi

ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO
Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto
& Protectori Ampliſſimo
EPISCOPO BRIXIENSI
Jo. Georgius Schelhornius
veram perennantem felicitatem.

DUlcis me ſpes tenet, Deum O. M. precibus meis flagrantiſſimis placidas præbuiſſe aures, TEque, CARDINALIS EMINENTISSIME, Brixienſibus

bus TUIS reddidiſſe illæſum atque vegetum. Gratulor igitur TIBI ex animo auſpicatum ad TUOS reditum, & divinum Numen ſupplex veneror, ut TIBI porro læta contingere omnia clementer jubeat. Mihi vero nunquam, dum ſpiritus hos reget artus, excidet animo incredibilis illa humanitas, qua me, meoſque in ſplendidiſſimo Monaſterio Ottoburano excepiſti, foviſti, dimiſiſti, totoſque TIBI mancipaſti. Conſerva nobis, obſecro, DOMINE, hanc propenſam TUAM voluntatem perpetuo, nobiſque viciſſim, pro uti collibitum fuit, utere. Nudius tertius tradidi idoneis vectoribus novam ciſtam libris onuſtam, Bolzanum perferendam &c. Nullus dubito, rite EMINENTIÆ TUÆ Tridenti redditas eſſe literulas meas, d. XXIV. Maji exaratas, quibus inſertæ erant aliæ ab optimo Genero meo ſcriptæ, qui cum Nepotibus meis dilectis ſe gratiæ TUÆ demiſſe commendatum cupit. Servet TE, PRINCEPS INDULGENTISSIME, propitium Numen in annos Neſtoreos incolumen ac omnigena proſperitate beatum.

Dabam Memmingæ A. R. S. MDCCXLVIII. *d.* VII. *Jun.*

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Domino

QUIRINO

S. APOST. SEDIS CARDINALI, ET EPISCOPO BRIXIENSI MERITISSIMO,

Bibliothecæ Vaticanæ directori & Præfecto ſupremo, Viro ad literas promovendas & ornandas nato, & ſummis in rem omnem publicam literariam meritis maximo, omnigenam felicitatem apprecatur

Joh. Phil. Caſſelius

Collegii Fridericiani, quod Magdeburgi floret, Rector.

TAntus meritorum TUORUM, EMINENTISSIME DOMINE CARDINALIS, in rem publicam, qua patet, literariam & eruditam eſt ſplendor & decus, ne quid de inſignibus in Eccleſiam Romanam meri-

tis

tis TUIS, & illuſtri, in qua poſitus es dignitate, dicam; ut exemplo Celeb. Reimari Prof. Hamburg. & aliorum eruditorum Virorum ſpem & operam TUAM implorare nullus dubitem, ſpe certiſſima fretus, nullam me abs TE pro TUO in bonis literis promovendis ardore, repulſam laturum. Non TE fugit, REVERENDISSIME DOMINE, Martianum Capellam &c. Vale, REVERENDISSIME DOMINE, in Domino pancratice, in ulteriorem promotionem omnis & rei literariæ & ſacræ, & fave mihi qui dudum ſumma TUA merita & illuſtrem eruditionem maximi feci.

Dabam Magdeburgi Anno a reparata ſalute MDCCXLVIII. *Idibus Maji.*

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi

ANGELO MARIÆ S. R. E. CARDIN. QUIRINO

Bibliothecario Apoſtolico,

EPISCOPO BRIXIENSI

Johannes Henricus Leichius, Lipſ.

QUæ Campidonenſibus typis exſcripta nuper ad me opuſcula miſiſti, ut TUA omnia, perquam mihi grata fuerunt, præſertim quod memoriam itineris TUI Germanici, æternis faſtis inſcribendi, continebant. Invideo ſane Suevis illis felicitatem ſuam, qui tanti hoſpitis adventu ſe magis impoſterum, quam omnibus aliis ornamentis, jactare poſſunt. Invideo Schelhornio, licet veteri amico, quem TU, CARDINALIS AMPLISSIME, non modo ut patronus, quod ſatis glorioſum fuiſſet, ſed ut amicus amicum, ut frater fratrem, excepiſti. Utinam vero mihi licuiſſet, Auguſtam Vindelicam excurrere, ſacramque purpuram TUAM, quæ maximum a TE ipſo ſplendorem accipit, coram venerari! a quo me non tam locorum intervallum, quanquam id haud exiguum ſit, nec vi-

viæ difficultas, quam negotia varia, nec ullo modo differenda, fatear, absterruerunt. Compotem ejus voti reddet me aliquando Italica, ut spero, peregrinatio, quam dudum meditatus sum instituere, ut volui, nondum potui. Tunc Brixiam advolabo, vetere Civium gloria, & optimis studiis, & Bibliotheca a TE condita, & suo Præsule nobilem, ac præter ceteras Italiæ civitates insignem. Adii his ipsis diebus munus publici Professoris, a Rege potentissimo nuper mihi impositum, Oratione de Conatibus Italorum in monumentis Etruscis, cui ex vetere more Diatribem in Photii Bibliothecam præmisi. Hanc propediem ad TE mittet typographus Venetus Albritius, eique immortale nomen TUUM, ut gemmam nobilissimam p.VI. insertum reperies &c.

Bene vale, EMINENTISSIME PURPURATE, meque favori, & benevolentiæ TUÆ, ut hactenus fecisti, perpetuo commendatum habe.

Lipsiæ d. 17. *Junii A.* 1748.

Eminentissime Princeps

ILLUSTRISSIME CURIÆ ROMANÆ PATER.

SAlvum & incolumem TE, EMINENTISSIME PRINCEPS, dulcibus, quæ aliquantisper, ob gravissima negotia in regionibus Germanicis subeunda, reliquisti, redditum esse arvis, quin & gremio Ecclesiæ, TUÆ fidei, & curæ concreditæ, impense gaudeo. O profectionem rei Christianæ salutarem! o latorem jucundum! Interea temporis ad me perlata est TUA Epistola ad clarissimum Gesnerum data, quam cum voluptate perlustravi. Summo quoque cum desiderio expecto Itinerarium, cujus in litteris TUIS humanissimis mihi spem fecisti certissimam. Plenum erit rerum antiquissimarum, & rituum Ecclesiasticorum, quibus Abbates initiari solent. Invitas me benignissime, ut meam de hocce libello significem mentem.

D Non

Non deero, si virium mearum tulerit ratio, TUIS desideriis oppido æquis. Academiæ nostræ non contigit esse tam felici, ut præsentia Serenissimi Principis hæredis regii illustraretur, nundinis abhinc solemnibus, quia morbus Reginæ Augustissimæ, & Principis Serenissimæ impedimentum posuit, propterea cum mea oratione Panegyrica in scenam prodire non potui.

Exponunt TUÆ humanissimæ litteræ, quo sis erga Principem Electoratus Saxonidi hæredem regium animo, sane tenerrimo, & devotissimo. Noli vero mihi irasci, EMINENTISSIME PATER, quod hujus rei notitiam ad ipsum Serenissimum Principem detuli, ut intelligat quantum sui desiderium Italis reliquerit.

Ne vitam Academicam silentio transigere videar, novam hanc meam orationem TIBI offero, quæ a §pho XIX. usque ad finem novam tractat opinionem, quam æquis judicibus dijudicandam proposui. Misera ceteroquin est vitæ Academicæ ratio, quæ præter splendidam miseriam multum quidem laboris, sed parum lucri habet &c. Vale, quod reliquum est, EMINENTISSIME PATER, & diutissime in emolumentum & ornamentum Ecclesiæ Romanæ. Vale, meque TUO favori habe commendatissimum.

Dab. Lipsiæ d. 1. *Julii* 1748.

Futurus sum summa animi pietate & cultu
TUI EMINEN.MI NOMINIS Humilimus cultor
Jo. Rud. Kieslingius.

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi
ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO
Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto ac Protectori Amplissimo
EPISCOPO BRIXIENSI
Jo. Georgius Schelhornius
veram perennantem felicitatem.

EX agro nostro redux, acidulis feliciter haustis, ad officium meum redeo, TIBIque, REVERENDISSIME PRINCEPS, gratus nuntio, incredibilem me percepisse

pisse voluptatem ex elegantissima TUA epistola, ad Serenissimum Principem ac Episcopum Augustanum publice data, in qua iter TUUM Suevicum jucundissime descripsisti. Plurimum incomparabili humanitati TUÆ me debere profiteor, quod tam benevolam in ea congressus nostri Ottoburani facere mentionem haud dedignatus fueris. Novo autem TUÆ laudatissimæ liberalitati me beneficio devinctum reddes, si unum adhuc vel alterum politissimæ illius Epistolæ, data occasione, exemplum clementer mihi concedere volueris. In perennem enim summæ TUÆ in me humanitatis memoriam Bibliothecæ nostræ publicæ eam consecrare animus esset. Patere vero jam, EMINENTISSIME CARDINALIS, ut ingentis gaudii TE quoque faciam participem, quo nuper me domumque meam replevit mirabile Numen, cui propterea dignas persolvere grates non valeo. Scilicet d. XXIII. Jun. vesperi charissima filia Elisabetha, optimi generi Hermanni conjux, vigesimum ætatis annum nondum supergressa, duos virilis sexus uno partu feliciter enixa est, quos postera die, D. Joanni Baptistæ sacra, in templo urbis nostræ primario ego avus sancto baptismate initiavi, unique, parentum rogatu, meum nomen imposui, habito antea Sermone sacro in Evang. Luc. I. 57. sqq. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Belle adhuc, Dei beneficio, valent tam felix puerpera, quam gemini fratres fœcundæ gloria matris &c.

His diebus exultavi lætitia, cum ex publicis rerum novarum tabulis intelligerem, TE, DOMINE, una cum illustrissimo Marchione Scipione Maffejo, communi omnium suffragio, in Academiam scientiarum Regiam Berolinensem cooptatum esse, summo ipsi ornamento futurum, quod felix faustumque Deus O. M. esse jubeat! Apparet hinc luculentissime, quanta veneratione EMINENTISSIMUM NOMEN TUUM ac immortalia in rem literariam merita

prosequatur erudita Germania. Propitium Numen, TE, PRINCEPS CLEMENTISSIME, in annos Nestoreos servet incolumem, & omnigena prosperitate cumulet!
Scribebam Memminga A. R. S. MDCCXLVIII. *d.* XI. *Jul.*

Principi Eminentissimo

CARDIN. QUIRINO

S. P. D.

Hagenbuchius.

INSCRIPTIONIS ab Herculanensibus M. NONIO M. F. BALBO positæ siglas P. R. PROC. a TE in epistola ad Clariss. Goettingensem Professorem Jo. Matth. GESNERUM ingeniosissime sic explicatas, *Privatæ Rei* PROC*uratori*, in meis ad TE literis X. Kal. April. 1748. malui simplicius PR*ætori*. PROC*onsuli* interpretari, nixus potissimum aliis eidem Nonio erectis titulis: tum etiam, quia *Rei privatæ*, aut *Privatæ rei* vocabula literis tantum initialibus incisa nusquam deprehendi, umquam ea in usu marmorariorum fuisse dubitavi: ita tamen, ut simul omni prece a TE contenderim, si TU deprehendisses, TUÆ me scientiæ ut participem faceres: tunc enim TUÆ me interpretationi acutissimæ, sique hoc mihi ostenderes etiam solidissimæ lætum lubentem multimodis plausurum esse. Nunc in literis TUIS Campoduni Vindelicorum d. VIII. Maji ad *Heideggerum* nostrum exaratis, & hodie a me lectis, non solum mei suavissime memor, sed opportunissime mones, „que dans le Commentaire de *Sertorius Ursatus de Notis* „*Romanorum* les lettres Suivantes PR. P. R. E. V. se trouvent „expliquées dans cette façon, *Procurator Privatæ Rei Egre-* „*gius Vir*. Hæ notæ sic ab Ursato explicatæ, & a TE, PRINCEPS eruditissime, perquam commode & sagaciter excitatæ, TIBI omnino dignæ videbantur quas mecum communicares, quo eas cum TUA siglarum inscriptionis Herculanensium P. R. PROC. interpretatione sedulo conferrem. Dictum a TE: factum a me. Operæ enim pretium esse duxi,

xi, relictis ceteris rebus omnibus inquirere, neque ante quiescere, nisi mihi constaret, tantumne ista Ursati explicatio haberet in recessu, quantum promittere nobis videbatur.

Non semper ea sunt, quæ videntur, decipit
Frons prima multos .... &c.

Vale, & vive feliciter, felicius peregrinare, feliciſſime redi.
Turici Helvetiorum Pridie Idus Majas MDCCXXXVIII.

Eminentiſſimo Domino

ANGELO MARIÆ QUIRINO

S.R.E. CARDINALI, ET EPISCOPO BRIXIENSI

S. P. D.

Johannes Blaurerus a Wartensee.

TArdius ſiquidem quam cupieram, tam cito tamen ut potui, ANGELE MARIA QUIRINE CARDINALIS EMINENTISSIME, in unum congregatis Bibliothecæ noſtræ curatoribus donum tuum, imo ingentem donorum acervum, Libros tuos omnes, tradidi. Quantam hoc lætitiam, quamque animis voluptatem adtulerit, digne ſatis & pro re ipſa tibi ſignificare non ſuſtineo. Paulum ab initio morabantur oculos eximium operarum prœli ac litterarum decus, atque ipſius etiam ligaturæ ſplendor atque nitor, ſed cito ſatis ad altiora traxit mentes mira operum varietas, rerum ingens copia, doctrina, eruditio, dignitas etiam atque gravitas. Hæc tamen ſuperavit cogitatio, omnia hæc a Viro, in excelſo adeo honoris ac dignitatis faſtigio conſtituto, ſumma doctrina nec minoribus vigiliis elaborata, tantiſque ſumptibus, in uſum totius orbis litterati, & futurorum etiam Seculorum, publici juris facta eſſe. Sed tanta tandem, tam multa, tam egregia ab ipſo tantæ Amplitudinis Auctore nobis donata eſſe, id vero gaudio noſtro lætitiæque ſummum impoſuit cumulum, novimus enim hæc Alpes non aliò tranſcendere, quam quò munificentia tua proficiſci jubet. Quod igitur Bibliothecam noſtram Turicenſem publicam tot mu-

ne-

neribus tuis honeſtare & augere volueris, grates tibi referimus quantas poſſumus maximas, dolemuſque nullam plane nos rationem inire poſſe, qua ingentia hæc beneficia alio modo, quam obſervantia & obſequio, perpetua gratæ mentis recordatione & aſſidua virtutum tuarum laude ac deprædicatione remuneremur, ad quæ tamen nos, cum facultas ad majora non ſuppetat, religioſe obſtringimus. Nec niſi ad confitendam ſummam noſtram tenuitatem ſpectat, quod tibi mittimus Catalogum Bibliothecæ noſtræ. Riſum movebit iterata Homerica Glauci & Diomedis fabula, arma invicem permutantium, ſed quam diverſa?

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Hoc tamen diſcrimine, quod ibi meliora accipere non erubuerit præſtantior Heros, hic vero, æquiore retributionis lege, Major multo det majora, tenuiores vilia, quod potiora non poſſunt, reponant. Mittet illum tibi propediem Vir optimus, per quem tuos libros accepimus, Heideggerus. Quod ſi a te ipſo impetrare poteris, ut ab immenſis Bibliothecæ Vaticanæ Gazis & proprio locuplete Penu huc oculos demittere, & humilem hanc caſam inviſere velis, næ tu, Præſul ampliſſime.

Aude hoſpes contemnere opes . . . .
. . . . rebuſque veni non aſper egenis.

Quod ſupereſt, curæ nobis erit, ut ſumma hæc ornamenta locum in Bibliotheca noſtra honorificum & conſpicuum ſortiantur. Sunt nobis pulcherrima Principum Virorum, Legatorum publicorum dona, quæ tamen cum jam TE juxta ſe poſitum videbunt, proprios ſi quos habuere faſtus deponant, atque in poſterum unice TE vicino ſuperbiant; alienorum etenim laborum ſpatioſa volumina coemere, aliiſque largiri, Divitibus facile, proprios vero Ingenii atque doctrinæ proventus, plenis quod ajunt manibus, profundere, & iis ſcrinia etiam longe diſſita locupletare, niſi eruditis negatum eſt.

Unicum addere liceat, ut nempe privatas meas grates publicis ſubjungam; ne quis enim ſibi non donatus abiret acce-

accepi binas tuas effigies æri insculptas, quæ cum paulum discrepent, doleo hoc mihi denegasse fortunam, ut, coram TE debita reverentia intuendo, judicare possim utra sit verior. Facile tamen me solantur epistolæ binæ subsecutæ, ad Eminentissimum Cardinalem de Alsatia, & Feverlinum Prof. Gottingensem, hæ etenim quin summam animi ingeniique præstantiam vere exprimant, dubium mihi non est. Summam hanc tuam facilitatem atque humanitatem cum nullis ego meritis prosequi possim, perpetui tamen cultus & obsequii observantia colam. Deus TE diutissime servet, gloriamque suam bono publico arctissime junctam semper augeat & confirmet. Vale.

Dabam Tiguri x. *Calend. Aprilis* 1748.

ΧΑΛΚΕΙΑ . ΧΡΥΣΕΙΩΝ
PRINCIPI . EMINENTISSIMO
ANGELO . MARIAE . CARDINALI
QVIRINO
SVMMO
BIBLIOTHECAE . VATICANAE
PRAEFECTO
ob
IMMORTALIA . quæ . edidit . OPERA
liberalissime . TVRICENSIBVS . donata
hocce . ΑΝΤΙΔΩΡΟΝ . levissimum
PRAEFECTVS . ET . CONVENTVS
Civicæ . TVRICENSIVM . Bibliothecæ
animo . rependunt . gratissimo
ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ . SVO
tota . mente
DEVOTI.

Emi-

Eminentissimo ac Reverendissimo
ANGELO MARIÆ CARD. QUIRINO
Episcopo Brixiensi & Biblioth. Vat.
S. P. D.
Hermannus Samuel Reimarus.

ITer Germanicum feliciter a Te, CARDINALIS EMINENTISSIME, confectum esse, hoc magis gaudeo, quo certius hoc vegetæ in illa ætate valetudinis, viriumque præbes documentum: nihilque nunc superest, quam ut fructus quoque eruditos itineris TUI ex narratione quam polliceris decerpamus, & Tecum quasi denuo proficiscentes in omnia sacraria Bibliothecarum, & colloquiorum intromittamur. Venit interim ad me Epistola TUA ad Gesnerum nostrum scripta, qua de Herculaneo certiora edoctus sum, & qua ipse veteris Inscriptionis explicationem omnino meliorem suppeditas; neque hæc suo loco in Dione negligentur, cujus nutu primitias observanter TIBI offero. Emergit enim tandem aliquando in lucem, non sine nitore aliquo chartæ & typorum, & profligatur satis, siquidem IV. hebdomadum spatio ad pag. 64. ventum est: Utinam & ita comparatus, ut & ceterorum, & TUUM vel maxime, CARDINALIS REVERENDISSIME, judicium possit sustinere. Crusius Haarburgensis me nuper convenit. Multus inter nos de TE, TUAque humanitate juxta ac eruditione sermo: ille TUam operam ad Macarium, ego ad Dionem prædicare. Macarium tamen nunc pariter typis Hamburgensibus commissum forte prius quam Dionem videbis, propter molem utriusque haud facile eodem tempore superabilem. Neque tamen adhuc spes me destituit, fore ut primum Dionis volumen intra annum absolvatur. Deus TE exspectationi, non dicam plurimorum apud nos, quam facile vel ex nupera etiam Berolinensis Academiæ cooptatione intelligis, sed meæ, qua nemini concedo, hoc est longissimæ, & amplissimæ servet. Vale. *Dabam Hamburgi d.* XXVII. *Julii A.* CIƆIƆCCXLVIII.